



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **COXINENSIS*** IN BRASILIENSI NATIONE
PRAELATURA TERRITORIALIS COXINENSIS

AD GRADUM AC DIGNITATEM DIOECESIS EVEHITUR SERVATIS IISDEM

FINIBUS ET NOMINIBUS SIVE DE CURIA SIVE LINGVAE LOCI PROPRIIS Cum Praelatura territorialis Coxinensis hisce postremis temporibus numero clericorum operibusque ecclesialibus aliquod incrementum cepisset, Venerabilis Frater Antoninus Migliore, Episcopus Praelatus Coxinensis, unanimo consensu Conferentiae Episcopalis Regionalis «occidentis I» atque Praesidis Conferentiae Episcoporum Brasiliae, ab hac Apostolica Sede petivit ut haec praelatura territorialis ad gradum et dignitatem dioecesis eveheretur. Nos vero existimantes id in animarum bonum esse cessurum, praehabito faventi voto Venerabilis Fratris Alfii Rapisarda, Archiepiscopi titulo Cannensis atque in memorata Natione tunc Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate, praelaturam territorialem *Coxinensem* attollimus ad gradum et dignitatem dioecesis, servatis iisdem finibus, quibus nunc ipsa terminatur, atque iisdem nominibus de Curia et linguae loci propriis, quibus ad praesens nuncupatur. Huiusce novae dioecesis sedem episcopalem in urbe «Coxim» ponimus ibique exstans templum, Deo in honorem Sancti Ioseph dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus. Insuper ipsius dioecesis Praesulem nominamus Venerabilem Fratrem Antoninum Migliore, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem Sedis. Quae statuimus perficienda committimus Venerabili Fratri Laurentio Baldisseri, Archiepiscopo titulo Diocletianensi et in Brasilia Apostolico Nuntio, cui quidem tribuimus necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis mittendi. Hanc denique Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo tertio mensis Novembris, anno Domini bismillesimo secundo, Pontificatus Nostri vieesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

IOANNES B. card. RE

Secretarius Status

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Laurentius Civili, *Protonot.*

Apost.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana